

verfo, si id, quod convertitur retineret suum esse, & non desineret esse; numquam enim album diceretur in nigrum converti, nisi desineret esse album; quamvis cum Theologi, tum Philosophi sint discordes in definiendo, an hæc definitio termini à quo debeat esse simpliciter, vel secundum quid? ut videri potest apud eundem Card. de Lugo disp. 7. scđ. 1. n. 10. & Matrium in Phisic. disp. 11. qđ. 9. num. 141. & in 4. Sent. diđ. disp. 3. num. 280. Quidquid sit de hac formalitate definitionis, certum est, & de fide, in Eucharistica Transubstantiatione desinere omnidò substantiam panis, & vini; & esse hæresim Lutheranam, impanationem appellatam, asserere, quod una cum Corpore, & Sanguine Christi in Eucharistia sit substantia panis, & vini; contra quam novissimè arguit P. Richard. Arsdekin in Theologia Tripartita tom. 1. trađ. 2. capit. 4.

Tertium Requisitionum est ad veram conversionem, ut inter definitionem termini à quo, & positionem termini ad quem sit aliqua connexio vel physica, vel saltem moralis; itaut una ex altera aliquo modo sequatur; oportet enim quod res, quæ recedit, & desinit, recedat, & desinat ex vi introductionis, & inceptions alterius; & e contra, quod res, quæ accedit, & incipit, accedat, & incipiat ex vi definitionis alterius. Hoc pariter habetur in Transubstantiatione Eucharistica; in qua ideo cessat entitas panis, & vini ad prolationem Verborum consecrationis, quia eorum virtute statim incipit esse Corpus, & Sanguis Christi; ut docimus supra in Quæstis mensis Aprilis.

Quartum denique requisitum, secundum aliquos Theologos est quod ad veram conversionem detur aliquid commune utriusque termino à quo, & ad quem, quod idem perseveret cum utroque; ut docet Emin. Card. de Lauræa de Eucharistia disp. 20. art. 2. num. 26. secundum cuius opinionem in Eucharistica Transubstantiatione accidentia panis, & vini videntur adimplere hoc requisitum, cum in eadem superficie perseverent sub utroque termino. At hoc necessarium non esse opinatur Matrium in 4. Sent. d. disp. 3. n. 288. cum Gavatio, & Rada ibi allegatis; subdens; quia, etiam si accidentia panis, & vini convertentur in Corpus, & Sanguinem Christi, esset vera conversio, & Transubstantiatio.

Colligitur ex his, in Eucharistica Transubstantiatione destrui totum panem, & totum vinum, non solum quoad materiam, & formam, sed etiam quo ad existentiam, & substantiam, & subinde totum panem, & totum vinum syncategorematicè, idest secundum omnes suas partes, transubstantiari, & converti in Corpus, & Sanguinem Christi. cap. Firmiter. §. Una verò. De Summa Trinitate, cap. Quia corpus 135. De Consecr. diđ. 2. & cap. Panis 155. ead. Concil. Trid. d. sess. 13. De Sacrosancto Eucharistie Sacramento, can. 2. & can. 3. Utrum autem Transubstantiatio dicenda sit Productiva, vel Conservativa, vel Adductiva, seu per quam actionem ipsa fiat, non levis est controversia apud Scholasticos, de qua disputant S. Bonaventura, Bellarm. Valquez, Beccanus, & alii apud Matrium diđ. disp. 3. art. 2. & Emin. Card. de Lauræa diđ. disp. 20. art. 7. & art. 8. ad quos studiosi recurrant.

DECISIONIS XXII.

Ad Maji Quæsitum secundum.

ARGUMENTUM.

Querit, & resolvit, an in EUCHARISTIA simul cum Christo sit Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.

SUMMARIUM.

- 1 Trinitatis persone sunt omnes in re creata per essentialitatem, presentiam, & potentiam.
2 Corpus, & Sanguis Christi continentur sub utraque specie, aut vi verborum, aut per concomitantiam.
3 Pater, & Spiritus Sanctus quomodo sint in Eucharistia?
4 Pater, & Spiritus Sanctus non supponant humanitatem Christi.
5 Verbum Divinum est in Eucharistia per immediatam concomitantiam ob unionem hypostaticam cum Christi humanitate. Pater, & Spiritus Sanctus per concomitantiam mediatam.
6 Panis non potest transubstantiari in Divinas Personas.

QUÆSITUM SECUNDUM.

An cum Christo in Eucharistia sit etiam Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus?

Idem fuit. Primo, esse de fide, quod omnes Tres Personæ Santissimæ Trinitatis, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus reperuntur in omni re creata, sive materiali, sive spiritali per essentialitatem, presentiam, & potentiam; iuxta illud Jer. 23. Cælum, & Terram ego impleo, dicit Dominus & Act. 17. Non longè est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Hoc enim est proprium suæ immensitatis, de qua S. Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 1. Deus ubique est, sine ullo suo present, sine habitu omnia continens. sine loco ubique totus. Et quidem non circumscriptivè, neque definitivè, sed alio perfectiori modo, licet inexplicabili. Abelly p. 1. trađ. 2. cap. 2. sess. 6. Secundo, pariter de fide esse quod omnia, quæ pertinent ad Christi constitutionem, & integritatem; nimirum Corpus, Sanguis, Anima, Divinitas, & substantia, idest Persona Verbi Divini, verè, & realiter continentur sub utraque specie Panis, & Vini; vel vi verborum, vel ob concomitantiam, idest naturalem connexionem, quam inter se habent; ut declaravit Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. adeo vi verborum Corpus continetur sub speciebus panis; & Sanguis sub speciebus vini, cætera verò sub utraque specie per concomitantiam. Gonet. tom. 5. trađ. 4. De Eucharist. diđ. 6. art. 1. Tertio, esse communem omnium Theologorum sententiam, quod Pater, & Spiritus Sanctus sunt in Eucharistia non solum per attributum immensitatis, & per Dei illapsum in omnia creata; sed etiam alio quodam speciali modo, tum quia ibi assistunt cum Filio ad operandos effectus mirabiles gratiæ, tum etiam quia Pater, & Spiritus Sanctus existunt in Filio specialiter propter Divinarum Personarum inseparabilitatem, & mutam unionem alteram existentiam; quam Græci τριακός ποσιος appellant, Latini verò Circumcessionem. Gonet. diđ. art. 1. num. 17. Suarez de Eucharistia q. 75. diđ. 51. scđ. 6. art. 1.

His præmissis pro casu resolutione, alii respondent Patrem, & Spiritum Sanctum una cum Verbo per concomitantiam esse in Eucharistia, iuxta opinionem Bonacinae Tom. 1. de Sacramentis diđ. 4. q. 3. punct. 5. proposit. 4. num. 16. Eminent. Card. de Lugo De Sacramento Euchar. diđ. 8. num. 153. ubi hæc verba: Restat difficultas, an Pater, & Spiritus Sanctus sint etiam in hoc Sacramento? In quo, licet aliqui nimirum formidaverint, dicentes solum Christum esse in hoc Sacramento; non tamen videtur dubitandum, quin etiam alia Personæ assint; non solum in aliis rebz, sed etiam titulo propter conjunctionem cum Verbo; nam sicut unio anime cum

CASUS PRIMUS.

corpore sufficit; ut, posto Corpore Christi, ponatur etiam anima per concomitantiam: cur etiam non dicimus, adesse per concomitantiam personam Patris, Spiritus Sancti, cum adst. Divinitas, quæ cum illis non solum unitur, sed realiter identificantur.

Nihilominus alii negant cum Alvarezto, Ledesma, Nugno, Serna, & aliis Thomistis, quos citat, & sequitur Gonet. d. tom. 5. De Eucharist. trađ. 4. diđ. 7. art. 1. num. 16. & 17. ubi concedit quidem, Patrem, & Spiritum sanctum esse præfentes in Eucharistia tum ratione immensitatis divini, tum specialibus modis supraddictis, præcipue ob inseparabilitatem Divinarum Personarum cum Verbo; sed contendit, ex illa speciali presentia non posse inferri ad concomitantiam sacramentalem; ea ratione, quia, ad hoc ut aliquid sit in hoc Sacramento per concomitantiam, requiritur, ut in unitate suppositi uniatum cum humanitate Christi, & ideo cum Pater, & Spiritus sanctus non suppositent humanitatem Christi, neque uniatum unitate suppositi eius Corpori, & Sanguini, non continentur in Eucharistia per concomitantiam sacramentalem; pro contineatur Verbum, quod hypostaticè est unum cum Corpore, & Anima Christi. Hinc est, quod cum Eucharistia sit etiam sacrificium, dicimus in altarì offerri, & sacrificari Filium Dei, non autem Patrem, & Spiritum sanctum.

Videntur tamen concordandæ hæc opiniones, quæ discrepant in solo modo loquendi, si dicamus, Verbum Divinum esse per concomitantiam immediatam in Eucharistia ob unionem hypostaticam cum Christi humanitate; At Patrem, & Spiritum sanctum per concomitantiam mediatam, quatenus scilicet sunt uniti, & consubstantiales ipsi Verbo; ut distinguit Gabriel in Canone lect. 42. proposit. secunda, Suarez de Euchar. diđ. q. 75. diđ. 51. scđ. 6. art. 1. Verq. Quarto, & ultimo, & Lessus in Opere posthumo. in 3. parti. q. 76. art. 2. num. 3. Verùm an Panis possit transubstantiari in Deitatem, & sic in Divinas Personas, ut transubstantiatur in Corpus Christi? Disputat Gandavensis Quadrifido 11. quæst. 4. & Zuccolus Camaldulens. ubi resolvunt questionem negativè ex pluribus; sed præcipue, quia id, quod est finitum non potest transubstantiari in id, quod est infinitum.

DECISIONIS XXIII.

Ad Maji primum Casum.

ARGUMENTUM.

Continet, an Parochus teneatur communicare vulneratum vulnere mortali, qui pridie communicatus fuerat. Item alium, qui eodem manè sacram Communionem receperat. Referunt contrariæ DD. opiniones, & conciliantur.

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistia toties ministranda potestibus, quoties illam rationaliter, & devotè petunt.
2 Viaticum est datum existentibus in periculo mortis, qui pridie sanus communicaverat.
3 Præcepto non satisfaciit, agent quod est in præcepto ante tempus postum in Præcepto.
4 Audient Missam die festo ignorans esse diem festum; an satisfaciit præcepto?
5 Communicare non licet bis eodem die.
6 Communicandus est per Viaticum moribundus, licet sanus eodem die communicasset.
7 Communicandus est per Viaticum eodem die infirmus, qui manè communicavit?

De Sacramento Eucharistia.

Igneis globulis duo mortaliter feriuntur: quorum unus eadem die, alter pristina communicaverat. Queritur an Parochus debeat statim utriusque Communionem deferre?

Cum duo sint vulnerati, qui proponuntur in casu, estis ambo mortaliter; unus autem illa die receperit ex devotione Sanctissimam Communionem; alter verò die præcedenti, pro resolutione opus est loqui priùs de uno, postea de altero.

Quò ad vulneratum, & communicatum antecedenti die, vel quærimus, an Parochus licitè possit Sacram Eucharistiam ei dare; vel etiam an teneatur; itau si ipse Parochus omitat absque legitimo impedimento eundem vulneratum communicare, peccet mortaliter? Circa primam partem quæstii, adhuc subsistingendum; vel ipse vulneratus nondum cibum accepit & est jejunus, & absque dubio Parochus poterit ei sacram communionem præbere, si plagiatus sit dispositus, prævia sacramentali confessione, aut reconciliatione, reverenter illam suscipere; siquidem toties est ministranda potestibus, quoties illam devotè, & rationabiliter petunt; Navar. in cap. Placuit, num. 152. de Penit. diđ. 6. Bonacina de Sacram. diđ. 4. quæst. 5. punct. 1. n. 15. Barbosa de Parocho cap. 20. num. 15. Aut vulneratus non est jejunus, & vulnus non solum est mortale, sed dubitare facit proximam esse mortem, itau moraliter judicando, expectari non possit sequens dies; & in hoc casu non solum Parochus poterit illum communicare per Viaticum, Summa Diana Verb. Communio n. 49. Barbosa d. cap. 20. n. 37. Bonacina d. diđ. 4. de Eucharistia quæst. 6. punct. 2. n. 21. fed etiam tenebitur, & erit obligatus ad illum communicandum, ut satisfaciat præcepto divino de Communionem recipienda in periculo mortis; licet enim controvertant Theologi, & Moralitæ, utrum huic præcepto satisfactum sit per communionem receptam paulò ante quàm homo incurrit in periculum mortis? ut disputat Valquez de Euchar. diđ. 214. cap. 2. Henriquez eod. trađ. lib. 8. cap. 4. lit. P. & Emin. Card. de Lugo de Sacram. Euchar. diđ. 16. a. n. 36. & seqq. Diana part. 3. trađ. 4. ref. 40. & par. 5. trađ. 3. resol. 41. quæ resident in Opere Coordinato tom. 2. trađ. 2. resol. 71. & 72. qui omnes, cum aliis per eos citatis, tenent; per communionem paulò ante periculum mortis factam satisfactum esse præcepto de sumendo Viatico; Nihilominus securior videtur opinio contraria, ea ratione, quia nemo potest satisfacere præcepto faciens id, quod præceptum est, ante tempus postum in præcepto, ut patet in illo, qui jejunaret ante diem vigiliæ, vel audiret Missam ante diem festivum, vel recitaret Officium Divinum pridie quàm acciperet ordinem Subdiaconatus. Turrianus in Summa part. 2. cap. 58. dub. 2. num. 3. Ochagavia de Euchar. quæst. 14. n. 7. Diana part. 5. trađ. 3. resol. 33. reposita in Coord. d. tom. 2. trađ. 2. resol. 74. n. 2. Leander de Euchar. trađ. 7. diđ. 2. quæst. 6. & alii quos allegat & sequitur Compilator. Colleg. Salmanticens. tom. 10. de Sacram. trađ. 4. cap. 8. num. 7. & 8. ubi respondet argumentis contrariis. Et hanc nostram opinionem amplectitur etiam Emin. Card. de Lauræa de Euchar. d. diđ. 25. n. 50. ubi rationem reddens, ita scribit: Quod præcipitur in aliquo tempore implendum ex circumstantia aliqua, impleri non potest in alio tempore; si enim præcipitur jejunium pro die Veneris, non implet præceptum, qui jejunat die Jovis.

Quò verò ad alium vulneratum mortaliter, qui eadem die communicaverat, majus dubium videtur esse, nam in eo non militat supraddicta ratio; & cum communionem sacram receperit die illo, censetur satisfactis præcepto de sumendo Viatico pro periculo mortis, est non habuerit intentionem satisfaciendi

huic

obligationi; exemplo ejus, qui adisset Sacram in die festo, ignorans tunc esse festum; talis enim non teneretur eodem die iterum aliud Sacram audire, postquam cognoverit, esse diem festum. Præterquamquod finis præcepti est, ut homo Communionem sacram suscipiat pro Viatico, imminente tempore mortis, ne imparatus discedat ex hoc mundo; cui fini censetur satisfactum per Communionem sumptam illo die, tametsi non cogitaverit de morte; siquidem omnis homo prudens facit opera sua, ut satisfaciat suis obligationibus, quamvis præsum reflexum ad illas non habeat; ut ratiocinantur DD. decem cumlati per Dianam part. 5. trañ. 3. ref. 33. transcripta in Coordinato d. tom. 2. trañ. 2. ref. 74. quibus adimplantur etiam Tamb. de expedita Commun. cap. 5. §. 6. Franciscus de Lugo de Sacram. lib. 4. cap. 19. quest. 4. à num. 23. & Eminentiſſ. Cardin. de Lugo de Eucharist. d. disp. 16. num. 55. ubi argumentatur tum ab inconvenienti, quod sequeretur, si vulnus fuisset illatum paulo post communionem acceptam; esset enim iterum communicandus ipse vulneratus, modico temporis spatio inter utramque communionem interveniente; tum à prohibitione, quam habemus in Jure Canonico, ne quis communicet bis in eodem die. cap. Sufficit de Consecr. dist. 1. cap. Consulisti. De Celebr. Missar. S. Thom. 3. part. quest. 80. art. 11.

Nihilominus, vulneratum nostrum posse, immò debere à Parocho iterum Sacram Eucharistiam per Viaticum sumere, contrariam opinionem supradictæ amplectens, & defendens ex professo docet Diana part. 5. trañ. 3. ref. 74. §. 2. ubi respondet argumentis contrariis, dicendo, præceptum Divinum de Communionem sacra sumenda in articulo mortis præponderare, & prævalere præcepto Ecclesiastico de non communicando bis in die, & non jejone; cui quidem Præcepto Divino non fuit satisfactum per præcedentem Communionem, etsi illo die factam, cum eo tempore non advenisset periculum mortis, & voluntas non existeret adimplendi hanc obligationem; debet enim satisfactio fieri in tempore præscripto, & cum explicita voluntate, neque paratus dici potest ipse moriturus ex præcedenti Communionem, quia illam recepit non pro Viatico, & prodiscessu ex hoc mundo. Hanc opinionem confirmat Diana etiam part. 6. trañ. 6. resol. 18. & pag. 10. trañ. 11. resol. 40. quarum prima in Opere Coordinato est d. tom. 2. trañ. 2. resol. 75. secunda vero ibid. ref. 81. in quibus allegat concordantes Hurtadum, Turrianum, Ochagaviam, Megallium, Bresserum, Martinum à S. Joseph, Leandrum, Pellizzarium, Quintanadvenam, Ludovicum à S. Joanne, & Dicastillum. Quibus ego addo Nicolium in Flosculis Verb. Eucharistia num. 12. & Colleg. Salmanticens. d. tom. 10. de Sacramentis in genere tr. 4. cap. 8. num. 8. ubi notatur, dici posse, secundam Communionem parum distare à prima respectu temporis, sed non parum distare quoad obligationem, & præceptum de sumendo Viatico, cui per primam, ex sola devotione factam, non fuit satisfactum; & subdit ibidem duo exempla Patrum Societatis Jesu, scilicet P. Guafconis, & P. Claudii Aquavivæ Præpositi Generalis, qui etsi manè celebrassent, & Sacram Eucharistiam receperunt, vespere ejusdem diei, cum in periculo mortis ex morbo inopinato incidissent, iterum Sacram Viaticum devotè sumperunt; quod etiam testatur P. Diana in cit. resol. etsi P. Claudium Aquavivam manè non celebrasse, sed communicasse ex devotione cum esset infirmus, & ingravescente morbo, cum evidenti periculo mortis, post mediam noctem subsequentem sumpsisse Sacram Viaticum scribat Gobat. in Theol. Experim. Sacram. d. trañ. 4. n. 177.

Quid igitur dicendum in hac controversia? Quid

tenendum, cum hinc inde sint rationes, & Doctores gravissimi, sibi ipsis invicem contrarii? Quibus adherendum? En prudens, doctus, & in praxi observanda distinctio; quam (recedendo à sua prima opinione negativa) ponit Tamb. in cit. Opus. 7 de Expedita Commun. cap. 5. §. 6. in fine, his verbis: *Vel manè quis communicavit bene valens, & deinde incidit in morbum periculosum, itaut credatur non porreiturus vitam ad diem sequentem, & hunc iterum posse eodem illo die, immò debere communicare per viaticum probabile erit ex autoritate tot Doctorum; nec aliud ipsos velle, si eorum verba, & rationes perpendantur, existimo. Vel manè quis dum laboraret periculoso morbo, pro quo si illud periculum adverteretur, poterat ei dari (Viaticum) ipse tamen communicavit ex devotione, & hunc non posse iterum eodem die communicare, si recrudescat tunc morbus, ob quem judicetur eodem die moriturus, constanter affirmo. Et de hoc casu ego sum locutus in hoc num. 10. locutus enim sum de eo, qui communicavit in manè (infirmus) deinde incidit in periculum. Ratio utriusque partis distinctionis, est quia in priori casu, (scilicet sanitatis) ex probabili sententia non est satisfactum præcepto communicandi in periculo mortis; illa enim in periculo non erat quando (sanus) communicavit. At in posteriori casu satisfactum est, quia jam erat in periculo, quamvis non putaretur esse, vel quamvis cum ea intentione non communicaverit. Sicut si manè diei festi audis Sacrum, licet nescias illum esse diem festum, satisfaciis præcepto; quia tunc nec præceptum jam implevisi, neque Missam aliam teneris audire post scientiam festi, ut alibi docuimus in Decal. lib. 4. cap. 2. §. 2. num. 18. Ecclesia enim præcipit auditionem Missæ simpliciter, non intentionem satisfaciendi præcepto. Igitur cum percussus in nostro casu igneis globulis communicasset eadem die, non infirmus, sed sanus ex simplici devotione, erit iterum statim à Parocho communicandus, etsi non jejunos, & per Viaticum, si periculum mortis imminet.*

DECISIONIS XXIV.

Ad Maji secundum Casum.

ARGUMENTUM.

Examinat, an licitè, quis recipiat Communionem Paschalem in Ecclesia Regularium, Parocho invito? Agitur de Præcepto Communionis Paschalis, & de Privilegiis Regularium circa administrationem Sacramentorum. Resolvitur Casus negativè.

SUMMARIUM.

- 1 Fideles olim tenebantur audire Missam in propria Parochia; & ibi recipere Sacramenta.
- 2 Monachi, & Regulares, olim non ordinabantur Sacerdotes, & erant subjeti Parocho loco, ac Episcopo in omnibus, & per omnia.
- 3 Monachi, atque Regulares, licet olim ferent Sacerdotes, nulla Sacramenta administrabant Laicis.
- 4 Familiarium appellationis apud Regulares venium servientes, & degentes in eorum claustris die, ac nocte.
- 5 Eucharistia olim ter in anno sumenda erat de Præcepto, & semel in Paschate.
- 6 Paschatis tempus pro Præcepto Communionis adimplendo, quale sit?
- 7 Parochus potest prorogare tempus Paschatis pro præcepto Communionis adimplendo.
- 8 Monachis injunctum est Præceptum de Communicando semel in mense; ac etiam Clericis.

- 9 Regularis administrat Sacramentum Eucharistie laicis ex Privilegiis Apostolicis toto anno; excepto Paschate Resurrectionis.
- 10 Regularis ministrans Eucharistiam laicis in Paschate incidit in excommunicationem Papalem: & possunt ab Episcopo suspendi à Divinis.
- 11 Privilegia, quæ derogant juri communi, debent strictè interpretari.
- 12 Laicus communicans in Pascha in Ecclesia Regularium non satisfaciit Præcepto; & peccat mortaliter.
- 13 Regularis communicans Laicum in die Paschatis peccat mortaliter.
- 14 Suppositio in re prohibita non sufficit, sed opus est certitudine.
- 15 Laici infesti sunt Clericis.

CASUS SECUNDUS.

Parochianus Parocho non regularium communionem Paschalem in Ecclesia Regularium recipit. Quæritur, an licitè?

Ad majorem intelligentiam materiæ, de qua in casu, præmissa fuerunt quatuor notanda.

Primum, quòd omnes omnes Christi fideles tenebantur audire Missam, Divinæ Officia festivi diebus in propria Parochia; adeo non licebat adire aliam Ecclesiam. cap. Primatus 6. dist. 71. cap. in Dominicis 4. & cap. nullus 5. 9. 4. 2. Et multò minus permittitur erat iisdem fidelibus percipere Sacramenta extra suam Ecclesiam Parochialem, aut ab alio Sacerdote, quàm à proprio Parocho, vel ab eius delegato. cap. Placuit ult. de Penit. dist. 6. & est repetitum in cap. 2. de Parochis.

Secundum, Cessabat autem præcis temporibus occasio fe absentandi à Parochiali Basilica, & divertendi ad Ecclesias Regularium pro Divinis Officiis, & Missis audiendis, atque pro Sacramentis participandis, tum quia Regulares omnes sive Monachi, sive Mendicantes non fiebant Sacerdotes; immò prohibebantur ordinari; tum etiam quia vivebant more reliqui populi sæcularis sub Parocho, & ab eo Sacramenta, aliaque Divina suscipiebant; & eidem solvebant Decimas, & erant in omnibus, & per omnia subditi Episcopo, ac Ordinario loci, tam quò ad personas, quàm quò ad Ecclesias. Fagnan. in cap. Nimis prava num. 2. de excessib. Prælator. Rota dec. 17. n. 2. par. 1. res. Emin. Card. de Luca De Regularib. dist. 1. n. 5. Et de Jurisdic. dist. 28. n. 8. Emin. Card. de Albitiis De Jurisd. Card. in suis Titulis Discip. 2. à n. 4. & seqq. Et de prædicta subjectione Regularium constat ex cap. Constitutus. cap. Cum Venerab. Et cap. Cum dilectus filius. De Religioſ. domib.

Tertium. Et quia cursu temporis pro bono communi Ecclesiæ recessum fuit ab antiqua simplicitate, & concessum fuit Regularibus, ut ad sacros Ordines promoverentur; & in suis Ecclesiis per seipſos Missam, & Divina Officia celebrarent, non per hoc poterant administrare Eucharistiam personis laicis. Pignatell. tom. 6. consulti. 98. num. 86.

4 Cumque de factis cepissent aliqui Regulares eam distribuere, & orta essent jurgia inter eos, & Parochos dolentes, quòd à Regularibus non solum testatores retraherentur, ne legata relinquere Matricibus Ecclesiis, sed etiam quòd ipsi Regulares avocarent laicos ab accessu ad Ecclesias Parochiales; ac iisdem administrant Sacramenta Eucharistie, Extremæ Unionis, & Matrimonii; idcirco ad obviandum his indolentibus, in Concilio Viennensi anno 1312. sub Clemente Papa Quinto, promulgata fuit excommunicationis sententia, ipſo facto incurrenda, & Summo Pontifici reservata contra Regulares præmissa facientes, ut legitur in Clem. 1. de Privilegiis, in cuius fine tantummodò permittitur Regularibus De Sacramento Eucharistie.

ribus, ut possint administrare Sacramenta familiaribus suis domesticis, & pauperibus degentibus in hospitalibus eorumdem. Porro appellatione familiarium intelliguntur, qui diu, nocteque permanent in Conventu, nam simplices servientes, qui servant de die, & de nocte vadunt ad suas domos, debent recipere Sacramenta in Parochia, ut declaravit S. Congregatio Concilii in una Firmana 17. Julii 1655. de qua in Synodo Dioecesana Abbatiæ Farsen. in Tit. de SS. Euchar. Sacram. Verſ. Sæculares.

Quartum. Sed quia vel multitudine fidelium sic requirebat, vel sic conveniebat doctrinæ, pietati, & zelo Regularium, placuit Apostolicæ Sedi iisdem privilegia concedere, & permittere, ut non solum possent in eorum Ecclesiis publicè Missas tam solemnes, quàm privatas, & alia Divina Officia celebrare; sed etiam Sacramenta Penitentiarum, & Eucharistie fidelibus ad eos confluentibus impartiri, excepto tamen tempore, in quo ipsi fideles tenebantur ex Præcepto Ecclesiæ Eucharistiam sumere, videlicet pro Viatico in articulo mortis, & in festo Natalis Domini, Pasche Resurrectionis, & Pentecostes, ut antiquitus observabatur. cap. Etsi non frequentius 16. & cap. Sæculares 19. De consecr. dist. 2. qua tria tempora, refrigerante fidelium charitate, restricta fuerunt ad solum festum Paschæ Resurrectionis Domini; adeò ut hodie femel tantum in anno Eucharistia de præcepto sit recipienda in Paschate. cap. Omnis utriusque sexus, de Penitent. & Remissionib. quod fuit confirmatum in Tridentino Concilio sess. 13. de Euchar. can. 9. Appellatione autem Paschatis pro hac obligatione adimplenda intelliguntur dies octo ante, & dies octo post Dominicam Resurrectionis, ut declaravit Eugenius Quartus Constitutione sua XX. qua incipit Fide digna &c. De consuetudine autem non est concurs observantia, nam in Hispania intelligitur tota Quadragesima; in Dalmatia post medietatem Quadragesimæ; teste Pace Jord. tom. 1. lib. 3. tit. 3. n. 47. & 48. ubi notat ex rationabili causa posse à Parocho hoc tempus suis Parochianis prorogari; & appellatione Parochi venit Papa in toto mundo, Episcopus in sua Diocesi, & Parochus, qui habet distinctam Parochiam subiectam suæ Ecclesiæ Parochiali. At Regularibus, & Monialibus injunctum est de Jure Ecclesiastico, ut communicent semel saltem in mense. Clem. Ne in agro. S. Sand. de Statu Monachor. Sicut etiam Clericis, quamvis in minoribus Ordinibus constitutis. cap. Clericus 12. quasi. 1. Sed Trid. sess. 23. de ref. cap. 11. & de Regular. sess. 25. cap. 10. ad dictam frequentiam Communionis mandat exhortari.

Igitur ex Privilegiis Apostolicis pluries, & per plures Summos Pontifices concessis Ordinibus Regularibus, (quæ Privilegia referuntur à Mancino in Præctica Visitandi Infirmos, Prædic. 8. dub. 9. Verſ. Sed postea. à P. Augustino à Virgine Maria Carmelita De Privilegiis Religioſ. Verb. Eucharistia. & à Pignatello tom. 4. consulti. 152. n. 11.) possunt nunc Regulares administrare Eucharistiam Sacramentum fidelibus toto anni tempore; excepto tamen die Paschatis Resurrectionis Domini; nam in eo Pontifices volunt, ut Christi fideles ad satisfaciendum Præcepto annuæ Communionis, in propria Parochia communicent, ut fuit statutum in cit. can. Omnis utriusque sexus. & declaravit Sacra Congregatio Concilii die 23. Januarii 1586. de qua Fagnanus in eodem cap. Omnis utriusque sexus n. 43. De Penit. & Remissionib. sic enim expedit, ut proprii Pastores saltem semel in anno agnoscant vultum sui peccatoris; & idè Regulares, qui tali die Resurrectionis Dominicæ administrant Eucharistiam personis laicis, ab excommunicacionem lata sententiæ, reservatam Summo Pontifici vigore prædictæ Clem. Religioſi De Privilegiis locorum Ordinarii, postquam de hoc sibi constituerit,

rit, possint eos excommunicatos facere publicè denuntiare. Fagnan. in cap. Cum Capella num. 26. de Privileg. tom. 7. Beja de Cens. Conscientie part. 4. cap. 12. Jordan. d. tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 50. Theaur. de Pnis Ecclesiasticis part. 2. Verb. Parochialis iura num. 2. Inimò procedere contra illos etiam ad penam suspensionis à Divinis, ut Summus Pontifex Urbanus VIII. significare fecit Archiepiscopo Neapolitano die 20. Martii 1639. ut habetur in Constitutionibus Michaelis Justiniani Vicarii Apostolici Alerien. lib. 3. tit. 1. num. 10.

Et quantum disputant Moraliste, an saltem Regulares in die Dominice Resurrectionis Domini possint Eucharistiam largiri laicis illis, qui vel in hebdomada antecedenti eam receperunt in Parochia pro adimplendo præcepto; vel animum habent eam recipere in hebdomada sequenti; & super hoc multum dicunt, amplectenda est opinio Navarri in Manuali cap. 21. num. 25. Henriquez lib. 8. cap. 55. & Azorii tom. 1. lib. 8. cap. 30. quæst. 7. docentium, Regulares absque Episcopi, vel Parochi licentia nulli eorum die Resurrectionis Domini Eucharistiam impertiri debere, quia in Privilegiis Sixtini IV. & Leonis X. habentur hæc verba: Præterquam in die Resurrectionis Dominice, & privilegia, quando iuri communi derogant, non debent laxari, sed stringi; tantò magis, quia sic pluries declaravit Sacra Congregatio Concilii die 13. Januarii 1586. die 14. Martii 1615. die 2. Martii 1619. ut testantur Gavantus in Manuali Verb. Eucharistia num. 23. Nicolus in Flescul. Verb. Regulares num. 30. Barbos. de Parocho cap. 20. num. 10. & in Decision. Apostolicæ collectan. 335. Verb. Eucharistia num. 4.

His prænotatis resolvendo Casum propositum, dicendum est, Parochianum non benevolam Parocho, recipientem Communionem Paschalem in Ecclesia Regularium, si absque speciali licentia ipsius Parochi, aut Curie Episcopalis id agat, non licite agere, tum respectu sui ipsius, tum respectu Regularis Eucharistiam sibi ministrantis. Agit illicitè quo ad se, quia non satisfacit Præcepto Ecclesiæ; ut declaravit Sacra Congreg. die 23. Januarii 1586. apud Mancinum d. Practica Odava dub. 9. Verf. Fuit etiam Jordan. d. tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 79. & Barbosa de Parocho cap. 20. num. 11. & ibi Nugens, Suarez, Portellus, & Villalobos, quibus adde Bonaciam de Sacram. Euchar. tom. 1. disp. 4. q. 7. punct. 2. num. 7. & Collegium Salmanticense. tom. 10. de Sacram. in genere trad. 4. cap. 9. num. 17. Et peccat mortaliter, nam he non conformatur ordinationi Ecclesiæ; & cooperatur peccato mortali, quod committit Regularis ministrans ei Eucharistiam sine debita Jurisdictione, & facultate. Reginald. in Praxi lib. 29. num. 90. & Gobat. in Theolog. Exprim. Sacram. trad. 3. num. 73.

Illicite igitur agit etiam respectu Regularis ministrantis, qui pariter mortaliter peccat, transgrediens mandata Ecclesiæ, & usurpans sibi alienam Jurisdictionem, qua de causa incurrit etiam Excommunicationem Papalem ex cit. Clem. Religios. de Privileg. à qua eum tueri, seu præservare non potest ignorantia, quia, cum hoc Præceptum, de Communionem Paschali recipienda, sit notissimum, insertum in corpore Juris, de quo loquuntur omnes libri, & erudiuntur etiam pueri, & puellæ in Scholis Doctrinæ Christianæ; non potest esse in Regulari Sacerdote, nisi ignorantia crassa, culpabilis, & supina; quæ non excusat ab incurfu censure lætæ in d. Clem. Religios. ut bene probat Theaurus de Pnis part. 1. cap. 15. ubi plurimos citat Theologos, & Canonistas, quamvis contrarium astruat Philippinus de Privileg. Ignorantia num. 570.

Neque suffragaretur eidem Regulari suppositio, quòd ille Parochianus habuerit licentiam à suo Parocho: quia in re prohibita non sufficit supponere, sed

opus est certitudine, & legitima probatione, prout expressè loquitur Bulla Leonis X. circa administrationem Sacri Viaticii, vel Extremæ Unctionis faciendam per Regulares laicos infirmis, dicentibus, proprium Parochium illa Sacramenta sibi dare negasse; ait enim Pontifex, quòd Regulares eadem Sacramenta dare nequeant, nisi denegatis illi, illegitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitis coram Notario publico facta doceretur, ut observat Novarius in Summa Bullar. par. 2. Commentar. 114. Quapropter prudentis Regularis est, non citò credere Parochiano non benevolo Pastori suo; sed ab eo legitimum testimonium, de licentia habita communicandi extra Parochiam exigere, vel cum horari, ut patet præcepto Ecclesiæ, & suo Parocho obloquatur; attento maxime Juris axiomate, quòd laici infelici sunt Clericis. cap. Laici. 2. quæst. 7. & cap. Clericis. 2. de Immunit. Eccles. in 6. Ne ergo tamen non est, quòd si Parochianus alienus petens Communionem Paschalem à Regulari Sacerdote, affirmans, se habere licentiam à suo Parocho, esset Vir probus, bene cognitus eidem Regulari, & timorata conscientia, posset et credere, & absque incurfu Censuræ Sacram Synaxim præbere, juxta Magistralem doctrinam, ac punctuale responsum Lapii allegat. 126. prout etiam si idem Vir probus, nobilis, ac solitus frequentare Sacramenta, asseveraret, se satisfecisse Præcepto in Parochia intra hebdomadam sanctam, vel satisfacturum antequam transeat Odava Paschæ; ut præter Morales Theologos concedit Jordanus cit. tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 79.

DECISIONIS XXV.

Ad Maji Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Investigat, quanto tempore conveniat differre sumptionem cibi corporalis post sumptam EUCHARISTIAM? Explicatur varietas Horarum pro officiis Divinis apud antiquos. Ponderatur, quamdiu species Sacramentales durent in stomacho ex Medicorum opinione, ac Theologorum.

SUMMARIUM.

- 1 Cibus corporalis post Eucharistiam sumptam quanto tempore differendus?
- 2 Nos apud Hebræos dividebatur in quatuor partes, quæ dicebantur Vigiliæ.
- 3 Horæ dicebantur duodecim, & dividebantur in quatuor partes.
- 4 Officium Divinum, olim quibus horis recitaretur?
- 5 Communionem receptam non sumebatur cibus, nisi post sex horas de Jure antiquo.
- 6 Spatium est interdicendum recepta Communionem sacra.
- 7 Species Sacramentales dum durant in stomacho, augetur gratia.
- 8 Species Sacramentales quanto tempore durent in stomacho?
- 9 Laici post receptam Sacram Communionem quid debeant facere?

CASUS PRUDENTIALIS.

Fuit interpellatus Parochus à pia persona, quæ Sacram sumperat Eucharistiam; quanto tempore conveniat differre sumptionem cibi corporalis? Queritur, quid respondendum sit ab eodem Parocho?

Triplex responsum dari posse, dictum fuit. Unum secundum Jus. Alterum juxta Doctorum Sententiam. Tertium respectu Rationis.

Quò

Quò ad Primum: De Jure respondendum foret à Parocho, cibum corporalem non esse sumendum, nisi transactis sex horis post receptam Sacram Eucharistiam; ut disponit textus in Can. Tribus gradibus 23. de Consecr. dist. 2. ubi S. Clemens Papa ita scripsit: *Qui autem residua Corporis Domini, quæ in Sacrario relicta sunt, consumunt; non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent, Sanctæ Portioni miscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Si igitur mandò Dominica Portio editur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumpserunt, & si tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad Vesperam.* Pro intelligentia notandum; quòd apud Hebræos, sicut nox dividebatur in quatuor partes, quæ vocabantur vigiliæ, juxta illud Luc. 12. *Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit.* Et illud Matth. 14. *In quarta autem Vigilia noctis &c.* ita dies constabat duodecim horis, de quibus Salvator ait ad 3 Apostolos, Jo. 11. 9. *Nonne duodecim sunt horæ diei? Quæ quidem horæ dividebantur in quatuor æquales partes, singula quartum continebat tres horas, & dicebantur Prima, Tertia, Sexta, & Nona; ut probat Barradas in Evangel. tom. 4. lib. 7. cap. 13. Verf. Erat hora tertia. & Menoch. in Histor. Sacra part. 2. lib. 7. cap. 18. num. 1. Quamvis hisce temporibus Judæi admittant tres tantum partes diei adorandum in Synagogis, quarum primam vocant מוריח שכיבת, idest Matutinam. Alteram מנה מנחה, scilicet Meridianam. Tertiam מוריח נגראיב, videlicet Vespertinam teste Julio Mauroceno in suo opere adversus Hebræos tom. 1. part. 2. cap. 14. pag. 143. Hæc apud Hebræos. Apud fideles autem in primitiva Ecclesia servabantur pariter quatuor vigiliæ nocturnæ, in quibus recitabatur Officium Divinum tribus nocturnis distinctum, in prima, secunda, & tertia vigilia noctis, in quarta autem decantabantur Laudes; dies verò recipiebatur similiter quadruplicem divisionem, assignatis unicuique tribus horis; hoc est: Una à Prima, idest summo mane, usque ad Tertiam. Altera à Tertia usque ad Sextam. Sequens à Sexta usque ad Nonam. Ultima à Nona usque ad Vesperam; ut latius Marcell. Francolin. de Horis Canonice. cap. 15. per totum. Et cap. 38. num. 5. & 6. ubi examinat supra relatum canonem Tribus gradibus. Igitur, si qui accepissent Sacram Eucharistiam hora prima, seu summo mane, debebant abstinere à cibo corporali usque ad horam sextam, sex horas expectando, post sacram Communionem, antequam comederent. Et idem impositum erat illis, qui Corpus Dominicum sumebant hora tertia, vel quarta, nam abstinere à cibo corporeo usque ad vespertam. Hæc de Jure Canonico in primitiva Ecclesia.*

Quò ad Secundum: Communis est Doctorum Sententia (fundata in auctoritate S. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 8. ad 6.) prædictum Canonem contraria consuetudine esse abrogatum, itaut non amplius sit servandum prædictum spatium de præcepto, sed ex honestate sufficiat aliqua mora, & satis sit differre aliquantulum sumptionem cibi corporis. Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 8. Verf. sexto arg. Gratius part. 1. lib. 2. cap. 44. n. 8. Silvest. Verb. Eucharistia 3. Verf. septimo quæro. Azor. part. 1. lib. 10. cap. 30. §. Quæres, an absolutò. Bonacina tom. 1. disp. 4. q. 6. punct. 2. n. 25. Laym. lib. 5. trad. 4. cap. 6. n. 23. in fine. Diana part. 3. trad. 4. resoluit. 44. quæ reposita fuit in opere Coordinato tom. 2. tra. 2. ref. 86. §. 2. Gobat. in Theol. Exprim. tra. 4. num. 282. Scortia de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 7. num. 3. Novissimè Biffus in Hierog. Sacra tom. 2. Litt. 5. num. 29. §. 1. Et idem dicendum est de spatio, à quo convenit, sumpta Sacra Eucharistia, abstinere aliquantulum; quod docuisse S. Jo. Chrysostrum testatur Sozomenus lib. 8. cap. 17. his verbis:

De Sacramento Eucharistia.

Quid monere ille consueverat, ut post Communionem aut aquam, aut postillum degustarent; ne contra voluntatem unæ cups salvia, sine pituita, quicquam sacrum excrearent; ipse prius id faciens.

Quò ad Tertium; respectu rationis, oportet aliquam moram interponere; antequam, qui Communionem Eucharisticam accepit, cibum sumat corporalem. Siquidem utraque Schola Thomistarum, & Scotistarum concedit, quòd Species Sacramentales toto tempore, quo remanent in stomacho, diffundunt ampliore gratiam ex opere operato, si homo attentus sit ad eam diffusionem colligendam, immorans in actibus devotionis, & charitatis, ut ex Cajetano docet Gonet. tom. 5. disp. 8. de Eucharist. 7. num. 37. Emin. Card. de Lugo eod. trad. disp. 12. sect. 2. num. 46. Hiqueuz in 4. dist. 8. q. 3. n. 23. & Maffius in 4. disp. 3. num. 415; hæc reddens rationem. Hoc Sacramentum gratiam confert per modum nutrimenti; sed cibus nutrit præcipue quantum est in stomacho, adustus colore naturali. Ergo etiam hoc Sacramentum quasi adustum calore melioris dispositionis, animam spirituales nutrit, quæ nutritio spiritualis in augmento gratiæ consistit. Quòd etiam latius probat idem Maffius in sua Theolog. Moral. disp. 18. n. 54. Porro species Sacramentales permanere inalteratas in nostro stomacho per spatium unius horæ opinantur Verticell. in Moral. q. 35. & Sancius in Selectis disp. 38. num. 2. circa finem; quorum opinionem etsi non approbent duo Eminentiss. Purpurati, Cardinalis nempe de Lugo de Eucharist. disp. 10. num. 54. & Cardinalis Brancatus de Part. Cæciliatis pag. 200. ubi proposito quæsto, Quanto temporis spatio Species Sacramentales in stomacho durent? Respondet: *Receptum est ex Medicorum placitis, eas ad summum ultra dimidium horam inalteratas non permanere; & si hoc potissimum ratione ducuntur; quia calor naturalis, singulis horis, duas uncias solidi cibi consumere potest: ut Martilius Cagnatus, & Manclphus apud Eminentiss. Cardinal. de Lugo, ab eodem consulti asseruerunt.* Sequitur nihilominus, tot sapientium Virorum sententia, per quadrantem horæ, vel etiam per dimidium horæ reali presentia Christi Domini frui posse animam fidelem, quæ sacram Eucharistiam recepit, dum tanto tempore durare possunt in stomacho species Sacramentales inalterate. Igitur rationi congruit, ut per dimidium horæ, aut saltem per quadrantem abstinere à cibo corporali homo Christianus, & præcipue Sacerdos, postquam communicavit; & interim se in orationibus, gratiarum actionibus, fidei, spei, charitatis, alique devotionis actibus detineat; ut uberiores fructus ex Divino Sacramento, etiam ex opere operato percipiat. Hinc in Constitutionibus præcitatæ Michaelis Justiniani lib. 3. tit. 1. num. 26. ita scriptum legitur pro laicis, qui sumperint Sacram Eucharistiam: *Dipoi si alziuo modestamente, e partendo dall'Altare, si ritirono in luogo remoto, nel quale si trattano in orazioni, e meditazioni pie; e con tutto il cuore, e pietà d'animo rendano grazie a Dio di tanto beneficio, e dell'infinita carità, che ha usata verso il popolo Cristiano; e si avvertiranno, che inghiottendo riterentamente le Particole; e si purificano bene; ni spatio subito; ma per un quarto d'ora almeno si astengano dallo sputare; e se la necessità s'ingringa a sputare, eremoto da gl'uomini, che passano. Non devono nè meno subito mangiare: ma dopa passata mezz'ora dalla Communionem, o un quarto almeno.* Quæ verba non me piguit transcripsisse, tum ob eximiam virtutem, & pietatem Auctoris, qui egregie sanctus fuit munere Vicarii Apostolici; tum ut Parochi sciant inungere de hoc plebes suas.

E 3 DE

DECISIONIS XXVI.

Ad Junii Quæstum primum.

ARGUMENTUM.

Scrutatur, an Christus in EUCHARISTIA possit ab intellectu creato cognosci? Quid de Animabus beatis? Quid de Angelis? Quid de Dæmonibus? Quid de Animabus Purgatorii? Et referuntur Exempla notabilia, & non injucunda.

SUMMARIUM.

- 1 Intellectus hominis viatoris non potest videre Christum in Eucharistia.
2 Angeli, ac Beati lumine supernaturali vident Christum in Eucharistia.
3 Angeli, ac Beati an naturali lumine videre possunt Christum in Eucharistia? negant Thomistæ.
4 Beatitudo accidentaliter Beatorum videre Christum in Eucharistia.
5 Anima Guilielmi à Cornu defuncti, quæ apparebat, cognoscit Sacram Eucharistiam delatam oculis à Priore Fratrum Prædicatorum.
6 Dæmones sua naturali virtute possunt, nisi impediuntur, videre Christum in Eucharistia.
7 Diabolus non cognovit Mysterium Incarnationis Domini.
8 Dæmones ad presentiam SS. Eucharistia obmutescunt, & fugantur.

QUÆSTUM PRIMUM.

An Christus in Eucharistia possit ab aliquo intellectu creato cognosci?

Pugnans scholæ inter se in resolutione hujus Quæstus; & idè discordes fuerant calami nostrorum Parochorum in respondendo; quocirca ex pluribus hinc inde dictis, & deductis, sequentes conclusiones emerunt.

Conclusio Prima. Intellectus hominis viatoris, operans dependenter à sensibus, non potest intuitivè cognoscere, seu videre Christum existentem in Eucharistia: Ratio est, quia cum intellectus humanus in hac vita non possit intelligere nisi ea, quæ sensus percipit, juxta illud 3. de Anima: Oportet intelligentiam phantasmata speculari: existentia autem Christi in Eucharistia non subiacet sensibus, experientia docet, sequitur, intellectum creatum, alligatum sensibus, non posse cognoscere, aut videre Christum in Eucharistia. In hoc conveniunt tam Scotistæ, quam Thomistæ antiqui, & moderni, quos allegant Gonet. d. tom. 5. tract. de Euchar. disp. 5. numer. 79. Maffrius in 4. sent. disp. 3. num. 251. Emin. Card. de Lauræa tom. 1. de Euchar. disp. 22. num. 111. & ex Moralibus, Bonacina tom. 1. de Sacram. Euchar. disp. 4. p. 3. puncti 5. num. 1. in fine.

Secunda Conclusio. Intellectus creatus separatus à sensibus, qualis est intellectus Angelorum, & Animarum beatarum, potest videre, & intuitivè cernere Corpus Christi cum suo modo existendi in Eucharistia, lumine supernaturali, tum in Divina essentia per cognitionem matutinam, tum extra per cognitionem vespertinam. Et de hoc non est altercatio inter Theologos; sed omnes conveniunt. S. Thom. 3. part. quæst. 76. art. 7. Lessius in opere posthumo d. quæst. 76. de Euchar. num. 47. Gonet. d. tom. 5. disp. 5. num. 81. Gabriel. in Canon. Missæ scilicet. 45. propè finem. Abelly tom. 2. in part. 2. tract. 1. cap. 4. scilicet. 5. in diff. 5.

Tertia Conclusio. Angelicus intellectus, & Anima

beata, naturali virtute, non potest intuitivè videre Christum in Eucharistia secundum Thomistam. At potest secundum Scotistas, & hæc est controversia insignis inter eosdem. Ratio Thomistarum est, quia modus, quo Christus existit in Eucharistia est supernaturalis quod ad substantiam, & excedit facultatem cognoscendi, quam habet intellectus creatus; qui sicut cognoscere non potest naturaliter Unionem hypostaticam, gratiam, & reliquos habitus supernaturales; ita non potest attingere ad cognoscendum modum, quo Christus est præsens in Venerabili Eucharistia Sacramento. Ita Gandavensis Quælibet. 11. q. 12. & ibi Zuccolius Patavinus, necnon Cardin. Gajetan. in comment. ad S. Thom. 3. part. quæst. 76. art. 7. Agudius de Sacram. Euchar. part. 4. cap. 4. puncti 3. num. 42. Gonet. d. disp. 5. n. 80. Lessius d. quæst. 76. n. 48. & 49. & Emin. Cardin. de Lugo de Eucharistia. disp. 9. num. 29. ubi tamen suam sententiam non proferit, sed potius inclinat in contrariam.

Igitur Scotistæ docent, posse intellectum Angelicum, & Animam beatam naturali virtute cognoscere, & intuitivè videre Christum in Eucharistia; ea ratione, quia obiectum proportionatum intellectui Angelorum, quantum ad cognitionem tam abstractivam, quam intuitivam, est quodcumque ens finitum, & limitatum, absolutum, & respectivum. Sed Corpus Christi existens in Eucharistia continetur sub latitudine hujus obiecti. Ergo non excedit limites obiecti naturaliter attingibilis ab intellectu creato ex natura potentia. Neque obstat, quod supernaturalitas existentia, & presentia Christi in Eucharistia non sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato; nam respondent Scotistæ, supernaturalitatem non variare rationem rei in se formalem; siquidem naturale & supernaturale non distinguunt naturam aliquid in se, sed tantum in comparatione ad agens; & idè non concludit, hoc, & illud esse aliud, & aliud in ratione intelligibilis; & sicut intellectus Angelicus potest naturaliter cognoscere substantiam panis non esse sub accidentibus, ita potest intueri, esse sub eis Corpus Christi indivisibile sine modo quantitativo; non enim excedit potentiam intellectus Angelici intuitivè cognoscere, quod accidentia stent sine subiecto, corpus sine extensione, duo corpora in eodem loco penetrativè, idem corpus in diversis locis, & similia, de quibus latè Maffrius d. tom. 4. disp. 3. an. 252. & seqq. Gabriel. d. scilicet. 45. in Canon. Missæ. Lessius cit. qu. 76. de Euchar. n. 49. Emin. Card. de Lauræa de Euchar. in cit. disp. 22. n. 112.

Nostrum non est judicare inter has opiniones, sed expectare decisionem in patria ecclesiæ, in qua sperare licet id, quod notat Gabriel. d. scilicet. 45. vers. finem. his verbis: Probabile est, quod videre existentiam Corporis Christi in Sacramento pertinet ad beatitudinem accidentalem animarum beatarum, quia ille dum orant viatrices, habuerunt fidem, qua firmiter crediderunt, Corpus Christi contineri sub Hostia. Viso autem succedit hæc in Patria, tanquam præmium merito. Unum autem hic puto notandum, quod narrat Odoricus Rinaldi in Annalib. Eccles. Anno 1324. num. 54. Exemplum desumptum ex S. Antonino, & ex Histor. Joan. Villani; animæ cuiusdam Guilielmi à Cornu, mox defuncti, quæ apparebat, & mirabilia narrabat de penis Purgatorii. Cum igitur Prior Fratrum Prædicatorum magna hominum caterva stipatus ad eam adjurandum accederet, timens ne esset spiritus malus, secretò secum portavit SS. Eucharistiam, & vix ingressus, ubi dicta anima loquebatur, auditæ eam sibi dicentem: o Prior? tecum habes Salvatorem Mundi. Hoc idem exemplum diffusè narrat Bartholom. Sybilla in Speculo Peregr. Quæst. Decad. prima qu. 2. cap. 4. attestans illud desumptum ex Instrumento authentico transmissio Summo Pontifici Joanni XXII. & Cardinalibus, tunc temporis (scilicet Anno 1324.) Apud Avinionem contor-

morantibus.

morantibus. Ex hoc desumitur potest argumentum, quod intellectus creatus, separatus à sensibus, naturali virtute potest videre Christum Dominum in Hostia Sacra.

Quarta Conclusio. Dæmones, nisi impediuntur, sua naturali facultate possunt intelligere quodcumque intelligibile creatum sibi præsens; & idcirco etiam præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. Dicitur, Nisi impediuntur, quia spiritus mali multa possunt ex natura sua, quæ non permittuntur eis, teste Magist. Sent. dist. 7. lib. 2. & sic intelligitur auctoritas SS. Patrum, quod Diabolus non cognovit Mysterium Incarnationis Dominicæ, etsi naturaliter poterit videre integritatem Deiparæ tam in mente, quam in carne, quia fuit impeditus à Deo. Ita Gabriel. d. scilicet. 45. pag. penult. Lessius cit. q. 76. n. 49. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 22. de Eucharistia. n. 114.

Hujus rei duo afferamus testimonia ex Jo. Bonifac. Bagata in Admirand. Orbis Christiani tom. 2. lib. 3. cap. 3. his præcisè verbis. Videlicet ad n. 16. Raynald. in Annal. Eccl. Anno 1527. Dum ad Americanos convertendos illic profecti sunt Apostolici viri, collocaverunt pluribus in locis Sandissimum Eucharistia Sacramentum, cuius presentia demones fugati sunt. Et num. 17. Wadingsus in Chronicis Minorum Anno 1529. Postquam Messici primum, deinde in aliis Urbibus, Tempia construxerunt Missionarii Sancti Francisci; & SS. Eucharistiam reverenter exposuerunt, caperunt idola omnia obmutescere, nulla deinceps dando oracula.

His addendum; quod scribit Augustin. Mannus in Jesh. Hist. cap. 242. Sacerdotem scilicet à Societate Jesu, secularibus vestimentis indutum, transeuntem per loca hæreticorum apud Belgas, deserentemque clam in sinu Sacras Particulas, Mulier obfessa à Dæmone intuita, post trinam interrogationem dixit: Tu habes Hostias, in quibus adest CHRISTUS FILIUS DEI.

DECISIONIS XXVII.

Ad Junii Quæstum secundum.

ARGUMENTUM.

Ponit, an Christus in EUCHARISTIA, possit videri ab oculo corporeo? Referuntur dissidentium Theologorum opiniones, ac plurimum apparitionum testimonia. Quæstum ipsum quinque conclusionibus declaratur, ac resolvitur; quid faciendum de Hostia conversa in carnem visibili?

SUMMARIUM.

- 1 Oculus corporeus naturaliter non potest videre Christum in Eucharistia, sed an supernaturaliter? n. 2.
2 Exempla eorum, qui oculo corporeo viderunt in Eucharistia.
3 Aloisius Carnolius Sacerdos Soc. Jesu laudatus.
4 Apparitiones Christi in Eucharistia fieri possunt quinque diversis modis.
5 Hostia consecrata si miraculose fiat caro Christi visibilis, non est sumenda à Sacerdote, sed servanda in Sacrario.

QUÆSTUM SECUNDUM.

An Christus in Eucharistia possit videri ab oculo corporeo?

Responsum fuit cum distinctione. Vel quærimus an naturaliter oculus corporeus possit videre Christum Dominum in Eucharistia? vel supernaturaliter De Sacramento Eucharistia.

Primo modo communis sententia est negativa; esto quod Nominales teneant esse possibile etiam naturaliter, sed actu non videri, quia Deus non vult. Rationes negantium plures sunt, quarum una; nam visio corporea fit per figuram Pyramidalem, cujus basis sit in obiecto, conus verò terminetur ad oculum. Sed basis Pyramidalis, non potest fundari in obiecto inextenso, & indivisibili, quale est Corpus Christi existens in Sacramento. Ergo videri non potest ab oculo corporeo. Ita Emin. Card. de Lauræa de Euchar. disp. 22. art. ultim. Lessius cod. tract. q. 76. art. 7. Maffrius in 4. sent. disp. 3. n. 259. & Emin. Card. de Lugo de Euchar. disp. 9. n. 19. Secundo modo, An videri possit supernaturaliter? Alii concedunt, ea ratione, quia, factis esse videtur, ut obiectum sit sensibile secundum se, ut ab eo possit sententia specificari. Corpus autem Christi in Eucharistia retinet talem sensibilitatem etiam si privatum locali extensione. Alii tamen asseveranter negant, docentes neque per miraculum posse videri Corpus Christi in Eucharistia ab oculo corporeo, ob modum indivisibilem, & spiritualem, quo existit; qui quidem modus non est attingibilis à sensu neque per absolutum Dei potentiam; ut disputando concludit Maffrius in cit. disput. 3. an. 256. & seqq. & in sua Philosophia lib. de Anima disput. 5. qu. 7. n. 237. Lessius cit. qu. 76. de Euchar. art. 7. Agudius d. part. 4. cap. 4. puncti 3. n. 40. & Emin. Card. de Lauræa cod. tract. disp. 22. art. ult. per totum.

Concedamus, quod Scholastici scribunt. Sed quomodo concordabimus eorum doctrinam cum exemplis antiquis, & modernis, quæ leguntur in Historiis Ecclesiasticis, & in vitis Sanctorum, videlicet Christum Dominum pluries visum fuisse oculis corporeis plurimorum in Eucharistia? Nonnulla exempla refert Sotus in 4. dist. 10. q. 1. art. 8. & præter illa alia plura, & præcipue sequentia, habentur. S. Maria Cœniacensis sæpè videbat in Eucharistia Christum Dominum in forma pueri, quem circumdabat, & adorabat multitudo Angelorum, teste Jacobo Card. de Vitriaco in Hist. Occident. cap. 5. & Raynald. in Annalibus Anno 1200. num. 50. consimilem visionem in Hostia Sacra, quæ ceciderat in terram, in Ecclesia S. Amati Episcopi Civitatis Duaci, non pauci viderunt, inter quos Thomas Cantipratensis, Alberti Magni auditor, & Condiscipulus S. Thomæ Aquinatis, ut ipse de se scribit lib. 2. cap. 40. & memorat Raynald. Anno 1254. num. 75. In Capella Sancti Ludovici Regis Franciæ, dum quidam Sacerdos celebraret, apparuit visibilis in Hostia consecrata Salvator Dominus, sub figura pulcherrimi pueri, quem omnes adstantes intuebantur, & ascito Sancto Ludovico ad videntem, respondit: vadant, & videant qui non credunt; mihi fat est credere, Christum Dominum verè, & realiter esse sub speciebus consecratæ Panis, & Vini. Raynald. in Annalib. Eccl. Anno 1256. num. 18. Eadem visione in Sacramento Eucharistiæ dignatam fuisse S. Birgittam legitimam Revelationum lib. 6. cap. 86. Sanctum Laurentium Justinianum pariter vidisse Christum Dominum in Hostia consecrata sub puerili forma narrat Surius die 8. Januarii cap. 3. Et ut ad proximiora tempora descendamus, visum esse Christum Dominum in Hostia à S. Ignatio Loyola testatur Daniel Bartoli lib. 1. ejus Vitæ pag. mibi 43. Et Vigilus Nolarci, (alias Aloisius Carnoli, piissimus Sacerdos Societatis Jesu, & Missionarius utilissimus in hac Dicecesi Patavina) qui scripsit eandem Vitam ejusdem Sancti sui Patriarchæ Ignatii cap. 5. Idiplum de S. Philippo Nerio scribit Petr. Jacob. Bacci in ejus Vita lib. 3. cap. 1. n. 2. Et de S. Teresia Didacæ de Tepes Episcopus Tarraconen. qui fuit ejus Confessorius, & ejusdem Sanctæ Vitæ, & actiones collegit lib. 3. cap. 20. Quinque consimilia alia plura exempla cupie-

tum de apparitionibus Salvatoris in Eucharistia ; tum de effusione sanguinis ex eadem, legat Nicolaum Laghi De Miracul. SS. Sacramenti trakt. 1. dist. 4. Joan. Baptistam Mathol. in Sylva Hystor. tom. 2. lib. 8. cap. 2. tit. 4. & Joan. Bonif. Bagattam in admirand. Orb. Christ. tom. 2. lib. 3. tit. 3. Appendic. 2.

Quid igitur dicendum? quid sentiendum? quid credendum de tot apparitionibus, quas oculis corporeis supparelati famuli, ac famule Dei intuiti fuerunt, ac alii plurimi per totos historicos, & religiosos, gravesque Viros relatis? Respondetur has apparitiones examinari à S. Thom. 3. par. 4. q. 76. art. 8. à Soto in 4. dist. 10. q. 1. art. 8. à Valentia De Euchar. dist. 6. q. 4. punct. 1. à Gabriele in Canone Missæ l. 51. à Leonard. Lessio in Opere posthum. quest. 76. n. 52. & seqq. ab Abelly in Medulla Theolog. tom. 2. par. 2. trakt. 1. cap. 4. sect. 5. §. 3. Difficultate 6. à Franc. Collio De Sanguine Christi lib. 4. dist. 9. à cap. 1. usque ad cap. 10. in quibus allegat Alensem, Egidium, Richard. Durand. Paludan. Dionys. Carthus. Joan. de Poliac & alios. A Gabr. Barletta in Serm. ser. 4. hebdom. Sanctæ, & à Mercantio in Candelabr. Mystic. trakt. 4. & novissime à Suarezio in 3. p. tom. 3. dist. 55. sect. 1. Coninch. de Sacram. q. 76. art. 8. dub. 1. & Quarto in Rubr. Miss. p. 3. tit. 3. sect. 3. dub. 1. 2. 3. & 4.

Horum Theologorum opiniones, & sententiæ firmant sequentes conclusiones quinque.

Prima est, quod aliquando Dominus noster Jesus Christus apparere sevis suis dilectis in propria, & sibi intrinseca figura, permitendo se ab eis amplecti, & osculari; nullam enim involvit contradictionem, ut unum corpus sit in duobus locis, & sic quod Corpus Christi fit in celo, ac etiam sit super altare, vel in brachiis suorum dilectorum servorum, vel sub specie infantuli, vel in sua propria magnitudine, prout verè apparuit S. Paulo cuncti in Damasco Act. 9. ut docet S. Thom. 3. p. q. 57. art. 6. & probat Menoch. in Historia Sacra Act. Apostol. lib. 1. cap. 23. n. 3. & B. Petro Apollolo Romæ, teste Hegesippo lib. 3. de Excidio Urbis Hierosolym. & aliis cumulatis per Lessium De Eucharist. quest. 75. n. 25. ubi respondet argumentis contrarium opinantium.

Secunda conclusio. Aliquando, dum Hostia videtur verè in Carnem, vel species vini in Sanguinem, id contingit sine ulla intrinseca mutatione specierum Sacramentalium, eò quia immutatio fit tantummodo in oculo videntis sine mutatione objecti. Hoc autem evenire potest tripliciter, secundum Sotum in 4. d. dist. 20. q. 1. art. 8. §. At verò. Vel læsione sensus, ut in lethargo, & phrænesi, vel ex immutatione aeris, vel productione specierum per divinam virtutem in oculo, aut in imaginativa, quemadmodum in visionibus prophetarum, & hic tertius modus est convenientior, non autem duo primi, ut docet S. Thom. 3. p. q. 76. art. 8. Et tunc mutatio Hostiæ Sacræ patum durat; & non solet videri ab omnibus, sed ab aliquibus tantum, & Christi Corpus existit absque dubio in Eucharistia.

Tertia conclusio. Aliquando Deus mutat unam tantum partem specierum Sacramentalium, inductis quibusdam qualitatibus sensibilibus Carnis, vel Sanguinis, verbi gratia, colore, vel spessitudine; & conservat quantitatem, & alia accidentia occultiora earundem specierum Sacramentalium, quæ quidem accidentia conservata sufficienter ad retinendam substantiam panis, & vini, si ibi esset, & tunc etiam sub tali specie Carnis, & Sanguinis manet Christi Sacramentaliter in Hostia illa, & sub illa figura, quæ apparere, ut bene explicat Lessius, in cit. qu. 76. de Eucharist. n. 53. & Valentia tom. 3. d. dist. 6. De Euchar. q. 4. punct. 1. Verf. Pars 9.

Quarta conclusio. Aliquando autem mutatio Hostiæ, vel speciei consecratur Sanguinis, fit quò ad totum temperamentum earundem specierum Sacramentalium; adeòut substantia panis, & vini, si ibi foret,

per dictam mutationem, nequirit conservari, obdestructam omnino quantitatem dimittentiam eorundem accidentium; & in hoc casu cum ibi non remaneat Corpus Christi Sacramentaliter, ut docet S. Thom. 3. p. q. 77. art. 4. hæstant Theologi in decidendo, quid sit credendum, & quid adorandum in illa apparitione, & figura carnis, & sanguinis, vel pueri, aut alterius imaginis, quæ videtur? Et in hoc casu opinatus est Alex. de Ales 4. par. q. 11. membr. 2. art. 4. t. 3. questione. penult. (quem refert Gabriel cit. l. 51. & Collus d. lib. 4. dist. 9. cap. 1. Verf. Insuper opinions) sub illa specie apparente esse veram carnem naturalem, aut Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi. Rationes sunt: Primò, quia hoc non est impossibile, nam idem corpus, etiam quantitativo modo, potest esse in pluribus locis, & consequenter videri. Secundo, quia hoc est convenientius, cum talis apparitio fiat vel in testimonium veritatis, & realis presentie Christi in Sacramento, vel in singulariter favorem, & consolationem alicujus justi. Tertio, ne detur occasio erroris, in adorando Carnem Christi, si ibi non sit ejus vera caro. Ita Quartus cit. part. 3. tit. 3. sect. 5. dub. 2. in Rubric. Missal. At hoc constat S. Thom. in d. q. 76. art. 8. & Cajet. ibid. docentes, esse tunc quid miraculosum, conservandum, & adorandum sicut adoraretur, & veneretur Vestis Christi, quod profequitur Collus d. dist. 9. cap. 4. & seqq. Placet tamen mihi conciliatio relata per Lessium d. qu. 76. num. 54. dicentem, esse quidem possibile Deo, destrucit dicensionibus, & cæteris qualitatibus specierum Sacramentalium, substituire ibi veram carnem naturalem, atque sanguinem, totumque corpus Christi Domini: sed credendum esse id non fieri. Primò, quia interdum ista species Carnis, & Sanguinis disparet, & sensus nigrescit, & corumpitur, ut patet in multis locis, & Corpus autem Domini, & Sanguis est incorruptibilis. Secundo, quia ubicumque est Corpus Domini, ibi etiam est Sanguis, & Anima juxta Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. nam partes Domini nunquam amplius separabuntur; Atqui non est probabile in illa portione carnis tot annis manere Sanguinem, & Animam ejus. Tertio, quia non est credibile, quando Sanguis miraculosè manet ex Hostia, esse Sanguinem Domini in propria specie naturali; nam Sanguis Domini non potest esse extra venas, & manere extra corpus. Est igitur dicendum, esse quiddam miraculo efformatum, ad significandum ibi latere Corpus vivum, habens carnem, & Sanguinem, & adorandum fore tamquam signum, & vestigium veri Corporis latentis Christi Domini, non per latrariam, nisi ad cautelam in theca carnis miraculosæ, seu Sanguinis, reponatur Hostia consecrata, ut advertit Marcantius in cit. Candelabro Myst. trakt. 4. l. 5. 6. proposit. prima in fine.

Quinta conclusio. In prædictis apparitionibus, & mutationibus consecratur Hostiæ in Carnem, vel Sanguinem, Sacerdos non est obligatus dictam Carnem, vel Sanguinem miraculosum manducare, vel bibere; sed in Sacrario reponere. An autem debeat novam hostiam, & vinum consecrare? relinquatur in arbitrio ejusdem Sacerdotis, ut tradunt Valentia d. dist. punct. primo, in fine. Lessius d. quest. 76. n. 55. Card. Toletus in Summa lib. 2. cap. 9. num. 3. Abelly d. p. 2. trakt. 1. cap. 4. sect. 5. §. 3. in fine, & Quartus ubi supra dub. 5.

DECISIONIS XXVII.

Ad Junii primum Casum.

ARGUMENTUM.

Examinatur, an sit Communicandus Concubinarus, qui profitetur non amplius tangere Concubinam, sed

sed pro gubernio domum tenere? Exponitur hoc nomen Concubina, declarando, quid Jus Canonicum antiquum, quid Jus Civile, quid Ecclesiasticum hoc tempore intelligat pro Concubina? An Polygamia esset licita apud Gentiles, & apud Judæos? Casus propositus negativè resolvitur pluribus rationibus.

SUMMARIUM.

- 1 Concubina an olim permixta?
- 2 Concubina in testamento veteri quomodo permixta?
- 3 Concubinarus permixtus de Jure Civili Pandectarum.
- 4 Concubinarus an sit contra charitatem Dei, vel proximi? & n. 26.
- 5 Concubinarus, non egesta à domo Concubina, non est admittendus ad Sacramenta.
- 6 Fornicatio est peccatum mortale.
- 7 Hereticum est asserere licitam copulam carnalem extra Matrimonium.
- 8 Concubinarus semper fuit damnatus à Jure Canonico.
- 9 Concubinarus prohibitus etiam à Jure Civili.
- 10 Concubinarus sunt excommunicandi.
- 11 S. Augustinus, & Jo. Chrysostom. invehebant contra concubinaros.
- 12 Concubina è domo ejicienda.
- 13 Evicere significat longè expellere.
- 14 Occasionem proximam peccandi qui non fugit, non est capax Sacramentorum.
- 15 Publicus peccator, est confessus, nisi tollat scandalum, non est communicandus.
- 16 Concubinarus, est dicitur non tangere amplius Concubinam domi sue stantem, non est absolvendus.
- 17 Confessarii in Diocesi Patavina habent expressam prohibitionem absolventi Concubinaros, nisi actualiter dimissa Concubina.
- 18 Balthus Emin. Card. Barbadii Episcopi Patavini circa Concubinaros.
- 19 Cap. Is qui, & cap. Christiano dist. 34. declaratur.
- 20 Concubina olim erat vera Uxor, sed duña absque solemnitatibus Juris.
- 21 Doctor dicens, licitum esse habere Concubinam secundum Canones, fuit, à Sancta Inquisitione processus, & correptus.
- 22 Polygamia permixta in veteri testamento, ex Divina dispensatione.
- 23 Afri libitinosi.
- 24 Polygamia inter gentes an esset peccatum?
- 25 Concubinarus de Jure Civili nunc non est permixtus nisi quoad successionem filiorum.
- 26 Concubinarus est contra charitatem Dei, ac proximi.
- 27 Opinio est damnata, quod sit licitum tenere Concubinam, etiam copula cessante.
- 28 Concubina prius ejicienda, deinde impertienda absolutio.

PRIMUS CASUS.

Concubinarus profitetur, non amplius tangere Concubinam, sed pro domus gubernio eam tenere, & sui, hac ipsius conscientiam expiisse Sacramento Penitentia. Petit Communionem. Queritur, an communicandus?

Disputationis gratia videtur respondendum affirmativè ex sequentibus.

Primo ex cap. Is qui, dist. 34. ubi in Concilio Toletano censetur approbatus vitus Concubinae inter personas solutas, ait enim: Is qui non habet uxorem,

pro uxore Concubinam habet, à Communionem non repellatur: tamen, ut unius mulieris, aut uxoris, aut Concubinae sit conjunctio contentus.

Secundò ex cap. Christiano ead. dist. 34. ubi S. Ildorus ita loquitur: Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est; nisi unam tantam aut uxorem, aut certò loco uxoris (si conjux desit) Concubinam. Ergo qui unam tantam habet, non est à Communionem repellendus.

Tertio; ex exemplis SS. Patrum in veteri testamento, quibus licitus erat usus Concubinarum; nam de Abrahamo legitur: Deditque Abraham concubina, quæ possederat, Isaac, filius autem Concubinarum largitus est mœnera. Gen. 25. 6. De Gedeone refertur: Concubina autem illius, quam habebat in Siebem, genuit ei filium nomine Abimelech. Judic. 8. 31. Et de Rege David, fugiente impetum Abshalonis: Egressus est ergo Rex, & universa domus ejus petibus suis, & reliquit Rex decem Concubinas ad custodiendum domum. 2. Reg. 15. 16. de Salomone autem Fueruntque uxores quasi Regina septingente, & Concubinae trecentæ. 3. Reg. 11. Et passim de aliis.

Quartò, ex Sermone S. Augustini Dominic. 22. post Pentecost. ubi disertissime narrat, Episcopos Africa canos, ob temporum iniquitatem, & peccantium multitudinem, permixsis usum Concubinarum, atque ad sacram Communionem admixisse Concubinaros; idque factum fuisse in Hispania, ob efrænantiam libidinem virorum, de qua Salvian. Episcopus Massilien. lib. 7. de Providentia, dedit Ferdinand. de Mendoza lib. 1. de Confirm. concil. Ulber. cap. 8. ut refert Barbof. in Collat. DD. ad d. cap. I. cui: dist. 34.

Quintò, ex Jure Civili Pandectarum, à quo non improbat Concubinarus inter personas solutas. l. 1. §. 3. & toto tit. ff. de Concubin. Item legatio 47. §. Parvi, ff. de legat. 3. l. Massurum, ff. de Verbi. signif. Bartol. in l. 3. ff. de Concubin. Menoch. de Arbitr. Judic. cas. 418. n. 21. Cevall. contra com. qu. 295. & Ricciul. de Personis, que in statu reprobo lib. 2. cap. 8.

Sextò ex ratione: nam Concubinarum habere non videtur esse contra charitatem Dei, quia copula carnalis non est directè peccatum contra Deum, neque contra charitatem proximi; & præcipue proli nascituræ: nam supponimus, Concubinarum velle educare, & curam habere filiorum, ex concubina suscipiendorum; ut videmus in praxi. Sed quod non est contra charitatem Dei, vel proximi non est peccatum mortale. S. Th. 2. 2. q. 154. art. 2. Ergo.

Septimò: tantò minùs, quia Concubinarus, de quo in casu, profitetur, non amplius tangere Concubinam, sed pro domus gubernio eam tenere, quo casu plurimi Theologi censent, id ei permitendum, maxime si concubinarus non fuisset publicus, sed secretus; ut conatur probare Sancius in Selectis disput. 10. per totam. Tabiena Verb. Concubinarus n. 2. Castro pal. tom. 1. trakt. 2. dist. 2. punct. 9. n. 15. & alii, quos citat Summa Diana Verb. Confessarius quo ad examen n. 32.

His tamen minimè obstantibus dicendum, & tenendum est, Concubinarum sive publicum, sive secretum non dimissa, egestaque Concubina, reperiri in statu peccati mortalis, & per consequens non posse admitti ad Sacram Eucharistiam percipiendam.

Primò: Quia concubinarus idem est, ac continua fornicatio; immò, tantò detestabilior, quantò magis est habitata, & familiaris. Covarruvias de Spons. part. 2. §. 4. cap. 8. n. 3. Gratian. discip. forens. c. 31. num. 5. Sed fornicatio est peccatum mortale, juxta illud Tob. 4. Attende tibi ab omni fornicatione, & Apolloli ad Gal. 5. 19. Manifesta sunt autem opera carnis, que sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. 1. Cor. 16. 18. Fugite fornicationem. Ergo.

Secundò: Quia hereticum est asserere, quod concubitus

cubitus carnalis, extra matrimonium, sit licitus. Clem. Ad nostrum. 3. de Hærese. ubi damnatur error...

8 Tertio: Quia semper Jus Canonium damnavit Concubinatus, & detentionem mulierum non uxorum...

9 Quarto: Quia Concubinatus est etiam prohibitus de Jure Civili, tum quia per ipsum Jus improbatum fornicatio...

10 Quinto: Quia tantum abest, posse admitti ad sacram Communionem Concubinarios, quod immo ipsi sunt excommunicandi...

11 Sexto: Quia Sancti Patres nunquam toleraverunt Concubinarios detinentes apud se Concubinas, sed eas semper...

12 Septimo: Quia tamquam necessarium requisitum, sine quo non potest Concubinarius effugere culpam coram Deo...

quidem ejicere significat extra domum projicere, & omnino expellere. c. Vidua 16. dist. 34. exemplo Dæmonum...

Octavo: Ratio autem est manifesta; nam Concubinarius etiam occultis convincitur non habere propositum verum se emandandi...

Nono non est danda sacra Eucharistia Concubinario, de quo in casu, quia ulterius extat scandalum inter fideles...

Decimo: Quia non potuit prædictus Concubinarius

rius expiare conscientiam suam, & ejusdem Concubinæ, Sacramento Penitentis, attenta prohibitione Eminentiss. & Reverendiss. Præfatus facta omnibus...

GREGORIO, per Divina Misericordia del Titulo de S. Marco Prete CARDINALE BARBARIGO Vescovo di Padova...

Non assendo tollerabile l'abuso, col quale alcuni Confessori di questa Città, & Diocece, o per poco studio, o per molta libertà di coscienza...

affatto da qualsiasi reciproca conversazione, come ricerca il vero pentimento dell'offese già fatte al Signore Dio, & l'obbligo di levare lo scandalo...

Gregorio Cardinale Barbarigo Vescovo di Padova.

(a) S. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 1. S. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 26. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 14. num. 149. Azor. instit. mor. part. 3. lib. 3. c. 6. in fin. Tambur. de Exped. Confess. lib. 3. c. 3. §. 1. n. 2. §. 12. Navar. in Man. c. 16. n. 20. Silvæ. Verb. Concessio. q. 25. §. Verb. Concubina num. 3. Mosconius de Maje. Milit. Eccl. lib. 2. c. 10. in fine. Summa Angelica Verb. Concubin. num. 1. Ricciull. de Personis, que in statu reprobo lib. 3. cap. 33. Gobat. in Exper. Theol. trad. 7. num. 535. in fin. (b) Propof. 61. §. 62. inter damnatas die 2. Mensis Martii Anno 1679.

Igitur stante tali Edicto in hac Diocece Patavina, & prohibitione absolvendi Concubinarios, dicentes non amplius tangere mulieres suas Concubinas, in propria eorum domo detentas, manifestum est...

Neque obstant argumenta in contrarium disputationis causa, in principio adducta. Non primum ex cap. 15, qui. Neque secundum, ex cap. Cristiano, dist. 34. in quibus Canonibus dicitur, haberi posse Concubinam a non habente uxorem...

21 num. 33. ubi lepidum casum refert ejusdem Doctoris denunciati in Sancta Inquisitione, eo quia dixisset in Villa, in qua habitabat, non habenti uxorem licitum esse habere Concubinam vigore Sacrorum Canonum; super qua expressione interrogatus respondit, se intellexisse de uxore absque solemnitate ducta, juxta text. in cap. *Is qui*, & cap. *Christiano*, dist. 34. Fuit tamen à S. Tribunali graviter objuratus ob propositionem; quae histemporibus censetur scandalosa; & obligatus ad declarandum coram Parocho, & rusticis illius Villae, quod olim per eisdem Canones nomine Concubinae intelligebatur vera uxor, quamvis sine solemnitate, & Instrumentis legalibus ducta.

Tertium non obstat desumptum ex SS. Patribus veteris Testamenti, nam cum illis ex Dei dispensatione, ad multiplicandum populum fidelem, licitum esset habere plures uxores; inter illas, quae prior erat in dignitate, vocabatur Uxor, reliquae dicebantur Concubinae; vel erant verae uxores; ut inter Theologos comprobatur Emin. Card. de Lauræa d. tom. 3. tract. de Matrim. disp. 24. art. 7. n. 149. & Maffius in 4. sent. disp. 7. n. 218. & 219. ubi rationem reddit justitiam hujusmodi dispensationis, ita ut Polygamia esset licita quoad maritum, non autem quoad uxorem. Et inter expositores Sacrae Scripturae, Tostatus, Lippomanus, Oleaster, Delius, Corn. à Lapide, & alii apud Serlogum in Cantic. tom. 3. Vers. 34. num. 7.

Quartum non obstat, quia etsi inter Afros, & Hispanos antiquis illis temporibus grassaretur libidinis, & Concubinarum usus, ad eam explendam; attamen non fuit ab Ecclesia, neque à Sacris Conciliis approbatus, ut bene demonstrat Barbof. in d. cap. *Is qui*, refellens commentitiam Mendozæ assertionem.

Quantum non subsistit, quia vel consideramus Jus civile ante receptam Christianam Religionem, & nulli mirum si Romani, dum essent Gentiles, admittent Concubinas, l. 1. & tor. tit. ff. de Concubinis, Ricciol. de Personis in statu reprobo. d. lib. 3. tit. 1. n. 3. exemplo Hebraeorum: Sed an ipsi Gentiles poterint eadem dispensatione, ita ut licite uterentur Polygamia? disputat Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 80. num. 13. ubi DD. & Maffius in cit. disp. 7. de Matrim. num. 220. Vel consideratio cadit, postquam Imperatores Romani amplexi sunt Evangelium, & in hoc casu eorum leges non admittunt Concubinas, nisi quod ad successorem filiorum; secus etenim quod ad animam, & aeternam salutem, quia Concubinae resolventur in fornicationem, quae etiam de jure civili est prohibita, l. Imperialis, C. de Nuptiis, l. Phantomas, ff. Si il poverte quis fuer. man. l. 4. ff. de Condit. ob turpem causam, Ricciol. d. l. 3. cap. 8. n. 3. & 6. & Gratian. discept. for. d. cap. 51. n. 5.

Sextum est falsum: nam Concubinitus est contra charitatem Dei, quia est peccatum mortale, prohibuitur à lege Divina; qui autem legem non servat, Deum non diligit, juxta illud Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Jo. 14. 21. Et e contra: Qui non diligit me, sermones meos non servat, ibid. num. 24. S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 4. Est enim contra charitatem proximi, nam offendit statum prolis nascituræ, quae oritur cum nota ignominiae, non delenda toto tempore ejus vitae; incipax bonorum, dignitatum, & fidei commissorum, ita ut plures nothos, & spurios tædeat vivere, ut probat S. Thom. lib. 3. contra Gent. cap. 122. Senebr. part. 1. Cor. 11. Infrat. disc. 23. n. 4. & Gard. Paleot. de Natis, & Spurii cap. 65. per totum.

Septimum tandem cadit argumentum ab auctoritate Doctorum, permittentium retentionem Concubinae in propria domo ejus, qui asserit, cum illa amplius non peccare; siquidem eorumdem Doctorum sententiam, doctrinam, & opinionem, tamquam scandalosam, & erroneam, damnare Alexander Papa Septimus die 2. Septemb. 1666. ad Propos. 41. conceptam his verbis: Non est obligandus Concubinarium ad ejiciendum Concubinam, si hoc nimis esset ad oblectamentum Concubinarium, vulgò Regalo; dum deficiente illo, nimis egrè ageretur; & alie epule ledio magno Concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficult inveniretur.

Et Sanctissimus D. N. Innocentius Papa Undecimus, qui Anno 1679. die 4. Martii pariter damnavit sequentes opiniones.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quinimodò directè, & ex proposito querit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugienda occurrit.

63. Licetum est querere directè occasionem proximam peccandi pro bono spiritali, vel temporali nostro, vel proximi.

Constat autem ex eisdem Decretis Pontificiis insulam esse excommunicationem Papalem contra defendentes eadem damnatas opiniones; & conceptum esse in virtute Sanctae obedientiae dispendio, & sub interminatione Divini iudicii omnibus Christianis fidelibus, ne easdem opiniones ad praxim deducant. Quapropter concludendum, esse prius ejiciendum Concubinam; deinde Concubinarium absolvendum, & communicandum; & ita ego practici 40. ab 28 hinc circiter annis cum junior essem, cum quodam Concubinario, in periculo vitae ob febrem mortalem constituto; qui licet egrè audisset resolutionem meam de eo non absolvendo, neque communicando ob existentiam Concubinae in eadem domo; facta deinde ejectione, & receptis Sanctissimis Sacramentis, obivit in Domino, meo assensuum flagitans, ac me exaltans corde insecro, ob objectum dæmonem illum è domo sua.

DECISIONIS XXX.

Ad Junii secundum Casum.

ARGUMENTUM.

Sciscitatur, an Sacerdos, qui commodè celebrare non potest, seipsum possit communicare, ex devotione?

SUMMARIUM.

- 1 Sacerdos extra Missam an seipsum possit communicare?
- 2 Sacerdotes olim non celebrantes communicabantur à celebrante.
- 3 Sacerdos extra Missam potest seipsum communicare, & num. 5. & 6.
- 4 Eucharistia olim concedebatur laicis, & Eremitis, ut seipsos communicarent.
- 7 Diacono praesente, an Sacerdos possit seipsum communicare?
- 8 Eucharistia an possit deferri in casu mortis, absente Sacerdote, & Diacono, à simplici Clerico, vel Laico? remissio.

SECUNDUS CASUS.

Sacerdos ruri celebraturus neque hostiam, neque Parochum reperit; sed clavem ciborii. Queritur, an seipsum communicare possit, ut suae devotioni satisfaciatur?

Multi negarunt, plurimi affirmarunt, & pro utraque opinione tum rationum, tum Doctorum ingens numerus fuit relatus.

Quod

Quod non possit Sacerdos extra Missam seipsum communicare opinati sunt Filliuc. to. 1. tract. 4. c. 9. n. 285. Armilla Verb. Communio nu. 8. Cajetan. eod. Verb. Villalob. in Summa tom. 1. tract. 7. cap. 48. Novissimè Pasquali, in Theolog. tom. 2. disp. 108. n. 36. Horum rationes sunt. 1. Quia ex Concil. Trid. de Euchar. sess. 13. cap. 8. duo tantum sunt modi communicandi, unus à seipso celebrante in Missa, alter de manu Presbyteri. 2. Quia non celebrans, etsi Sacerdos, recipit communionem more laicorum, & sic eam debet recipere de manu alterius Sacerdotis. 3. Quia ovis est pasceda à Pastore; cumque non celebrans consideretur tamquam ovis, non à se, sed à Pastore est pascedus Eucharistia. 4. Quia si ob gradum Sacerdotale licitum esset Sacerdoti non celebranti propriis manibus se communicare, absente alio Sacerdote, id etiam sibi liceret praesente altero Sacerdote; & tamen nemo audeo hoc asserere. 5. His rationibus addenda est non contentanda eruditio de prompta ex studio antiquitatis; scilicet, quia in primitiva Ecclesia plurimi Sacerdotes, qui quotidie non celebrabant, nihilominus communionem sacram accipiebant, non suis manibus, & à seipsis, sed de manu alterius Sacerdotis. Cafalio de Veterib. Sacris Christian. Ritib. part. 2. cap. 15. Novissimè Mabilon. de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 6. num. 2. Et in Praef. ad Saeculum Benedic. 2. num. 36.

At è contra quòd possit Sacerdos, de quo in casu, sumere de per se Sacram Eucharistiam sustinet Diana part. 11. tract. 7. resol. 42. quae est impressa in Opere Coordinato tom. 2. tract. 2. resol. 39. & ibi allegatur Leander, Dicaillus, Martinus de S. Joseph, Amicus, praeter Sylvium, Homobon. Fagund. & Suarezium alios citatos per eundem Dianam part. 2. tract. 14. resol. 33. in d. tom. 2. & tract. 2. Coord. resol. 40. Quibus ego adjungo Bonacinam tom. 1. de Euchar. disp. 4. quest. 5. punct. 1. n. 13. Tamburin. de Commun. cap. 6. §. 5. Volpi in resol. Moral. Verb. Euchar. ref. 59. n. 6. & Gonet. tom. 5. de Euchar. disp. 10. num. 19. Rationes eorumdem sunt. 1. Quia nullum jus hoc prohibet. 2. Quia si Sacerdos extra Missam potest aliis ministrare Eucharistiam; ergo etiam sibi ipsi, ne sit deterioris conditionis. 3. Quia in die Parasceves non consecrat, neque Sacrificium facit, & tamen se communicat. 4. Quia in Eucharistiae administratione non est necesse, ut alter sit Minister à suscipiente; olim enim (ut dictum est supra) concedebatur Sacramentum laicis, & Eremitis, ut secum illud tenerent, & juxta suam devotionem sumerent. 5. Quia in Concilio Primo Nicæno can. 14. conceditur Diaconis, ut possint, absentibus Presbyteris, seu Episcopis sumere de per se Sacram Eucharistiam. Ecce verba dicti Canonis: Accipiant (Diaconi) Eucharistiam secundum ordinem post Presbyteros, ab Episcopo, vel à Presbytero. Quòd si non fuerit in praesenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferrant, & edant. Quae leguntur etiam apud Cotonium lib. 2. controu. 4. cap. 7. num. 160. Ergo si id concessum est Diaconis, non est negandum Presbytero, si alii absint Sacerdotes, siquidem & ipse est Diaconus.

Hæc ratio est fortissima, & hæc opinio affirmativa est communior, quam etiam amplectuntur (cessante scandalò, & urgente aliqua rationabili causa, qualis est illa simplicis devotionis) idem Coton. d. cap. 7. num. 157. Colleg. Salmatic. tom. 10. de Sacramentis tract. 4. cap. 9. n. 18. Layman. lib. 5. tr. 4. cap. 7. n. 6. Emin. Card. de Lugo de Euchar. disp. 18. num. 28. & Emin. Cardin. de Lauræa de Euchar. disp. 24. art. 5. n. 67. & 68.

Neque urgent multum rationes contrariae: Ad primam enim, & secundam responderet Presbyterum, de quo in casu, communicantem recipere Commu-

nionem à Sacerdote, qualis est ipse. At tertiam paci à Summo Pastore Christo Domino, cuius ovis est idem Sacerdos. Ad quartam, cum alii Sacerdotes sint praesentes, à quibus communicari possit, cessare necessitatem, cuius intuitu dicimus posse semetipsum communicare. Ad quintam, praxim antiquam non offere casu nostro; siquidem tunc Sacerdotes non celebrantes communicabantur ab aliis, quia alii Sacerdotes non deficiebant, sed erant praesentes, quod cessat in casu nostro. Hinc antiquus erat in usu, ut Anachoretæ, & alii incolentes Eremos retinerent apud se Sacram Eucharistiam, & deficientibus Sacerdotibus eam acciperent à seipsis, ut legitur apud Emin. Bonam Res. Liturg. l. 2. c. 17. n. 4. Mactum in Hierolex. Verb. Eucharistia. Emin. Card. Baronius Anno 57. & ibi Spondan. num. 44. Et nos infra Decif. LXII.

Ex his supracitati Auctores proponunt duo alia quaerita; Unum, an praesente Diacono, teneatur Sacerdos recipere de manu illius Sacram Communionem? Alterum, an in casu mortis, deficiente Sacerdote, ac Diacono, possit Clericus simplex, & etiam merus Laicus deferre Viaticum, Eucharisticum moribundo? Et pro utroque quaesito alii Doctores negant, alii vero affirmant; Lector recurrit ad Gobatum in sua Exprim. Theol. tract. 4. à num. 443. & segg. ad Lezanam consul. 48. n. 83. & ad ea, quae dicuntur infra in secundo casu Mentis Augusti. Decif. XXXIX.

DECISIONIS XXX.

Ad Julii Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Offenditur, An Sacerdos communicandus extra Missam debeat habere Stola? Declarantur, quid essent Stola apud Hebraeos, & apud Romanos? Quid sint apud Venetos, & apud Ecclesiasticos? Agitur de Stolis, quas portant Parochi Patavini collegialiter incendentes, in signum quòd olim erant, & adhuc sunt de gremio Ecclesiae Cathedralis. Quare idem Parochi non praecedat Capellanus ejusdem Cathedralis in Processionibus? Obstantur praerogativæ, quas habet Parochus ob Stola in functionibus Parochialibus, & praecipue in funeribus, & exequiis defunctorum. Tandem deciditur, an omnes Ecclesiastici teneantur de Praecepto, feria Quinta in Caena Domini, communicare?

SUMMARIUM.

- 1 Stola apud Hebraeos erat vestis virilis, tegens totum corpus, à collo usque ad talos.
- 2 Medi utebantur Stola, id est veste oblonga.
- 3 Sacerdotes Hebraei utebantur Stolis lineis. Alii Levinae Linceis.
- 4 Stola apud Romanos erat Vestis muliebri.
- 5 Octavius Ferrarius Lector publicus Patavinus laudatus.
- 6 Aurei mulierum etiam antiquitus forebantur.
- 7 Stola apud Venetos est panis segmentum oblongum, dadrantali latitudine.
- 8 Equitis titulo Veneti Senatores ornati Stola limbo aureo ornatam deferunt.
- 9 Parochi Patavini Doctores portant Stola cum pellibus peregrinorum murium in limbo.
- 10 Parochi Patavini sunt de gremio Ecclesiae Cathedralis, & pluries in anno intrant in Chorum ad publicas preces.
- 11 Parochi Patavini quare non habeant praecedentiam cum Capellanis Ecclesiae Cathedralis?
- 12 Stola apud Ecclesiasticos quid sit? & n. 15.

13 Orat.